Medicamenta patria non sufficiunt.

NEquicquam Oceanus quantas disterminat vsquàm
 Immodicâ terras ambitione pater
Traiicere prudens docuit Deus abîete curvâ:
 Sufficiens Medicæ si genitale solum.
Institor incassumq; meat quà nascitur, & quà
 Sol bibit occiduas iamque cadivus aquas.
Dos medicamentis magis extrà est mascula natis,
 Vita quibus toties tam iuvenatur anus.
Tuta magis, quàm quæ spirant gentilibus arvis,
 Nota magis ritus quæ iubet esse senex.
Et quotus est non indigenas indoctior herbas,
 Vel quibus affini luxuriatur agro?
*A*ddo quòd vtantur, qui sic exotica damnant.
 " Quæ servant homines pharmaca, damnat homo.
Quid quòd temperies nobis par, transque marinis:
 Par quoque trans hominum cisque diæta fretum.
Morborumque tribus hîc, quæ censentur & illîc:
 Morborumque vni cura cüique sua est.

ERGO

Non satis in medicas virtutum sufficit artes
Sola sed in patrio nata medela solo.

Ventriculus omnium morborum internorum fons.

MOrborum quæcunque seges subsnacitur intùs,
 Intima ventriculo membra gravante coit.
Principio quià si quicquam patiatur acerbè
 Ignea quæ stomachi vis alimenta coquit,
Nauseat extemplò stomachus; mox evibrat artus
 Febris iners, potuit quâ sine nemo mori.
Quid quòd per stomachum laxandæ conditur alvo
 Quælibet arcendis docta medela malis?
Quin & ventriculi observans fit cæterus humor,
 Quo, satius reliquum, sospite, corpus habet.
Præcipiti contrà fluidum torrente cerebrum
 Altius invadens, rheuma subinde creat.
Vnde propagantur morborum mille phalanges,
 Quasque semel tantò vel memorâsse piget.
His libet adnumeres verax vulgique profatum;
 Non gladio plures, quàm cecidêre gulâ.
Quod secùs, omnigenûm stomachus nisi causa dolorũ
 Intùs, & in tantâ credulitate foret.

ERGO

Morborum quæcunq; seges subnascitur intùs,
Intima ventriculo membra gravante coit.

